ELIZABETHAE
SERENISSIMÆ POTENTISSIMÆq; ANGLIÆ, FRANCIÆ ET HIBERNIÆ REGINÆ.

CVM Gerardus Mercator P. Ducis Iuliacensis, cum viueret Cosmographus, Sereniſſima Regina, ætatem in ſtudijs Mathematicis & prę cipuè in Geographicis conſumpſiſſet, et non paruam gratiam ijſdem apud omnes Europæ Dynaſtas inijſſet, vt ea poſteritati quoq; commendaret; operi ſuæ Nouæ Geographiæ, titulũ Atlantem fecit, vt & ipſo nomine regis vetuſtiſſimi memoriam celebraret, & ſuo operi gratiam conciliaret. Ne autem Rex ille vetuſtus & à multis decantatus, aliquo hoc tempore parum commodo vel idoneo patrono in publicum prodiret, mihi filio eius magno perè cauendum fuit. Nam vt nõ ſatis eſt ædificium aliquod rectè collocaſſe, ſed ad eius conſummationem decorus ornatus etiam requiritur: Sic cum Atlantem Regem ædere cogitarem, eius ſecundam partẽ quæ Geographiam continet, tuæ Maieſtati dedicare volui, vt per eam & ornatior prodiret, & à maleuolorũ morſibus tutior permaneret. Idq́ue eà potiſſimum de cauſa feci libentius, quod vt in nomine Atlantis antiquiſſimus Mauritaniæ Rex, & docta in eo antiquitatis tempora nunquam intermoritura coluntur, ita ęquum ſit vt futura ętas ad eius exemplum, te Reginam Geographię nomine in perpetuum colat et celebret. Per te enim tuosq́; ſubditos ſeptentrionalium terrarum, quæ hactenus latuerunt notitia & illuſtratio primũ mundo illuxit, dum per aſpera glacieq́; nitentia Neptuni regna, ad remotiſſimos Indos, inauditis nauigationibus inſtituis quæriſq́; itinera: Quæ vt ſucceſſu temporis procul dubio ſunt fœlicem habitura exitum: ita non tantum Britannis tuis, ſed etiã reliquis omnibus vicinis Europę incolis, magnum aliquando fructum allatura ſunt. Nec hiſce contenta, nitidũ Regina virgo caput Arctoo polo tantum exeris alto: ſed magnanimorum Thomæ Candiſshij, Franciſci Draci, Martini Forboſsheri & aliorum heroum, maritimis expeditionibus multa incognita admirandaq́;, de Regnorum ac regionum diuerſo ſitu, de differentijs fluxuum, & refluxuum maris, de ventorum, cœli & aëris temperatura eiusq́; varietate, per vniuerſum terrarum orbẽ detegis & illuſtras, vt ſperemus, hiſce tuorum nobiliſſimis &

GERARDUS MERCATOR *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* DUISBERG, 1595 THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS Octavo